Jahresbericht

über den Zustand

des

Königl. Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums

zu Köln

während des

Schuljahres 1849—1850,

erstattet

von

Dr. Heinrich Knebel,

Director des Gymnasiums.

Vorangeht eine Abhandlung des Gymnasiallehrers Herm. Probst: De Hymno Homerico in Cererem.

Köln, 1850.

Druck von M. DuMont-Schauberg.

DE HYMNO HOMERICO IN CEREREM.

ADDITA EST LOCORUM ALIQUOT EIUSDEM HYMNI EXPLICATIO.

SCRIPSIT

HERM. PROBST.

mythum antiquis inde a temporibus traditum componeret. Nec vero mirum est, maiorem indolem poëticam, argumenti tractationem magis ad pulchritudinis venustatisque normam conformatam, orationem etiam ornatiorem in talibus epicis carminibus, quales Ilias et Odyssea sunt, inesse: quamquam has epici generis virtutes etiam in hymnis saepenumero agnoscimus. Immo insunt loci, in quibus dictio splendidissima, imagines ac comparationes pulcherrimae, descriptiones vividissimae et prorsus ad naturam compositae tantam in animum lectoris sive auditoris vim exercent, ut in Iliade et Odyssea nunquam venustius quid reperisse nobis videamur. Sed iam satis de hymnis Homericis universe disputatum est, ipsum in Cererem hymnum aggrediamur *). Describamus primum argumentum hymni, deinde quid de tractatione, de consilio poëtae, quisquis fuerit, statuendum esse videatur, exponamus, breviter etiam patefacta sententia nostra de quaestione gravissima, utrum hoc carmen unum sit an in duas diversas partes dividendum, quarum alteram grammaticus quidam ex reliquiis et fragmentis hymni Homerici vel pro Homerico laudati conglutinaverit, id quod argumento carminis accurate descripto optime diiudicari poterit.

Primis versibus poëta consilium Cereris atque filiae eius carmine celebrandarum aperit, deinde v. 3—39 raptum Proserpinae describit. Quum Proserpina ludens in prato cum filiabus Oceani floresque legens narcissum pulcherrimum, quem Tellus Iovis nutu produxerat, ut puellae fraudem faceret, petere vellet, repente terrae in Nysio campo hiatu facto Pluton in timidam puellam prorumpit eamque invitam miserosque clamores profundentem in curru suo abducit, nec quisquam eam audiverat praeter Hecaten et Solem. Tandem quum montes mariaque clamorem Proserpinae resonarent, vox filiae lamentabilis a matre audita est, cuius in pectus ingens dolor penitus descendit. Novem inde ab hoc tempore dies terras mariaque peragrat, faces manibus tenens, neque tamen filia ab ea conspicitur: tandem Hecate ei obvia fit, quacum certior facta Proserpinam raptam esse ad Solem pergit, ut ex eo quaereret, num alicubi filiam suam vidisset (v. 39—74). Neque ea spes eam fefellit. Sol misericordia matris gravissima calamitate afflictae commotus ei narrat, filiam Iove approbante a Plutone raptam atque ad inferos abductam esse: simul Cererem consolari conatur, quod tam nobilem adepta sit generum (v. 74—88). Quo audito dolor altiores etiam radices in pectore matris egit, ita ut vehementer in filium Saturni incensa deorum consortium vitaret et forma mutata inter homines vagaretur, donec Eleusina veniret, quae urbs tum temporis in ditione Celei erat (v. 88—98). Ibi misere afflicta ad Parthenium fontem consedit sub umbra olivae, aniculae similem et formam et vultum induta. Accedunt quattuor filiae Celei ad aquandum comiterque ex anu quaerunt, unde veniat. Respondet iis Ceres, se a piratis ex Creta insula abductam, quum illi navi ad Thoricum appulsa in terram egressi essent, opportuna data occasione fugam cepisse ac tandem in hanc ignotam terram pervenisse. Simul a diis petit, ut his puellis omnia bona dent, ab ipsis vero, ut malae suae fortunae misereantur (v. 98—145). Consolari eam studet Callidice, filiarum Celei pulcherrima: hominum esse, quae a diis inferantur calamitates, patienter ferre. Refert deinde principes potentia opibusque in urbe Eleusine pollentes et quum Ceres modo (v. 138—145), ut aedibus alicuius tanquam serva liberorumque parvulorum nutrix exciperetur, petiisset, illa ei respondet, uxores principum omnes vel primo adspectu eam

*) Utrum Homerus ipse an alius quis hunc hymnum composuerit et qua aetate hoc factum sit, de eo magna est inter viros doctos dissensio neque nunc nostrum est litem dirimere. Cf. *Groddeck* l. c. pag. 46. ***Matthiae*** Animadverss. in hymn. Homeric. c. Prolegom. de cuiusque consilio, partibus, aetate pag. 85 sqq. ***Mitscherlich*** Homeri hymnus in Cererem. Praef. p. XX., qui eum ab Orphico quodam confectum esse putat. *Nicol. Ignarrae* Emendationes hymni Homerici in Cererem apud Mitscherlich. pag. 235 sqq. *Ilgen* Hymni Homerici. Animadversiones pag. 499 sqq. ***Ruhnken*** hymn. in Cerer. Praef. VII. sqq. J. H. Voß, Hymne an Demeter. Erläuterungen pag. 1.

recepturas esse, quippe cuius forma deae similis sit. Denique eam invitat, ut secum domum patris eat, se a Metanira matre petituras esse, ut eam domi manere patiatur fratremque parvulum ei educandum tradat. Ceres annuit et cum puellis domum pergit. Mox illae a matre iussae ad anum, quam in via reliquerant, festinanter revertuntur eamque ad matrem, quae puerum gremio fovens in porticu sedebat, ducunt: ingenti autem metu illa capitur ex splendore divino, quo fores lucent dea limen intrante (v. 145—195). Iambe sellam ei apposuit, in qua diu tacita capite obvoluto sedebat, penitus enim dolor amissae filiae ac desiderium animo infixum haerebat. Tandem Iambe multa dicteria iocosque iaciente non potuit, quin exhilararetur potumque iussu ipsius e farina et aqua mixtum a Metanira acciperet, quae omni modo eam consolari studet eique puerum educandum tradit magno praemio promisso. Dea omnia, quae puero nocere possint, se ab eo propulsuram esse pollicetur et Demophontem nutriendum accipit, qui mirifice crescit a dea curatus. Sed ecce! divina nutrix quum puerum noctu, ut immortalis fieret, clam parentibus igni obrueret et matrem quondam id observantem miserrime ob hoc inceptum eiulantem audisset, filium igni ereptum in terram deponit et graviter Metaniram ob stultitiam reprehendens vaticinatur, semper bella nunc et pugnas Eleusiniis fore ob Metanirae stultitiam: simul Cererem se esse pronuntiat et imperat, ut omnis populus templum sibi exstruat, se ipsam orgia instituturam esse ad iram suam placandam. Quae quum dixisset, Ceres subito dea ex anu facta est, omnesque qui aderant, ingenti capiuntur stupore ob pulchritudinem eius maiestatisque splendorem, neque Metanira, quum dea iam exisset, vocem edere potest, et quum filiae puerum gremio foventes dolores eius laboresque mitigare non possunt, magnopere desideratur ab eo nutrix divina (v. 195—293). Nocte deae iram placare conantur. Tum Celeus prima luce de omni re certior factus populum templum Cereri exstruere iussit, id quod brevi tempore factum est (v. 293—302). Ibi consedit Ceres seorsim ab omnibus diis, ingenti tristitia ac desiderio filiae dilectissimae capta. Ira autem inexpiabili contra humanum genus incensa effecit, ut terra hoc anno nullum semen progigneret neque homines fructus percipere possent. Iovem tandem miseret generis mortalium tanta calamitate obruti Irimque ad Cererem mittit, ut eam ad se deorumque concilium arcessat. Ceres neque hac nec quae sequebantur, deorum crebris legationibus commoveri potest, ut ira placata ad Olympum veniat, et donec oculis suis filiam videat, fore ut homines frugum calamitate affligantur, minatur (v. 304—335).

Quod quum audivisset Iupiter, Mercurium mittit ad Plutonem, ut Proserpinam ab inferis ad matrem redire pateretur. Nec Pluton quum quantis calamitatibus obruti essent homines, comperisset, Iovi obedire recusavit et Proserpinam leviter ob tristitiam moeroremque increpans remisit. Puella magna laetitia ob hoc effertur, dolum mariti ignorans, quo mali grano gustato reditus necessitas ipsi imposita est (v. 335—378). Mercurius et Proserpina curru supra terras mariaque ad aedem Cereris vehuntur magnaque cum laetitia Proserpina a matre excipitur. Animo autem praesagiens filiam gustavisse cibum a Plutone datum ei aperit, per duas tantum anni partes ineunte vere ei licere vitam apud se degere, deinde ad inferos redeat necesse esse. Simul ab ea quaerit, quo dolo Pluto eam deceperit. Quod quum illa dixisset, luculenter ac copiose exponit, qui factum sit, ut a Plutone raperetur flores in prato carpens. Deinde ambae et mater et filia gaudio laetitiaeque indulgent, quam ex desiderio utriusque expleto perceperant. [Accedit Hecate filiam Cereris amicissime amplexa (v. 378—441)]. Tum Iupiter Rheam iubet Cererem ad deorum concilium ducere eique filiam duas anni partes apud deos superos commoraturam esse polliceri. Rhea statim ad Cererem proficiscitur et postquam in agro Rhario tunc temporis minime fecundo, Cereris iram iam placatam esse animo praesagiens, semen abscondit, ad Cererem venit, cui Iovis mandata aperit, simul eam admonens, ut terram hominibus fructus progignere sinat (v. 441—470). Nec

Ceres illud detrectavit nec solum agros steriles statim fruges emittere arboresque florere iubet, verum etiam discedens regibus Eleusiniorum sacra ac mysteria instituit, quae magnis laudibus a poëta nostro efferuntur (v. 470—483). Quo facto cum nata ad Olympum proficiscitur, poëtaque in fine beatissimos eos fore praedicat, qui Cereris filiaeque eius amorem sibi sint conciliaturi. Postremis versibus brevibus precibus orat, ut utraque dea pro carmine suo vitam sibi beatam praebeat, se alio etiam tempore novum carmen in Cereris ac Proserpinae honorem compositurum esse.

Iam argumento hymni in Cererem descripto, id quod nobis de toto hoc carmine et de consilio, quod poëta in scribendo sibi proposuerit, statuendum esse videtur, exponamus, locos etiam nonnullos, qui a viris doctis non ita recte intelliguntur, si fuerit occasio, in hac de toto carmine quaestione explicaturi. Ut statim ad id quod primarium est, animum attendamus, hymnus hic *unus* est et exceptis aliquot interpolationibus locisque mutilatis omnibus numeris absolutus, neque audiendus Matthiaeus in libro supra laudato, quae enim ille affert argumenta, ut contrarium quid demonstret, ea omnia parvi momenti sunt atque ita comparata, ut facile confutari possint.

Primum in hoc falsus esse videtur Aug. Matthiaeus l. l. pag. 75 sq., quod eam putat esse summam huius hymni, ut raptus Proserpinae enarretur. Verum quidem est, poëtam ipsis primis versibus ad hanc fabulam transire, et rectissime a Matthiaeo observatur, poëtam in aliis hymnis, quum consilium sibi propositum innuerit, statim transitum ad illud facere, sed in nostro hymno alia meo quidem iudicio adhibenda est ratio. Poëta primis versibus dicit, se cantu suo Cererem eiusque filiam Proserpinam celebrare velle, non igitur raptum Proserpinae, quamquam iam ad hunc enarrandum transit: qui mythus sive fabula deinde copiose exponitur, ad hunc enim mythum referenda est *sacrorum Eleusiniorum institutio.* In carmine igitur, quo haec sacrorum Eleusiniorum institutio celebraretur, mythus ille copiose enarrandus erat. Itaque consilium poëtae in eo positum esse puto, ut sacrorum Eleusiniorum origo celebretur, neque contra me dicunt, qui iam de huius carminis argumento ac summa disputaverunt, Groddeck de hymn. Homeric. reliq. pag. 45 sqq. Mitscherlich Praef. ad hunc hymnum ab ipso editum p. XX. Ilgen Animadverss. in hymn. in Cererem edit. eius pag. 499. Hoc enim primarium est, ut doceantur auditores, qui factum sit, ut sacra illa Eleusinia instituerentur, id quod fieri non potuit, nisi mytho illo accurate exposito. Denique hymni epilogus v. 473 sqq. pro nostra de summa carminis sententia afferri potest, ubi Ceres recuperata filia principibus Eleusiniorum ritus sacrorum suorum monstrasse dicitur: neque enim video, cur de integritate versuum modo laudatorum dubitandum sit (cf. v. 274). Si hic verba quaedam insolita et quae dictioni prioris partis huius hymni minus apta esse videantur, inveniuntur, quid impedit, quominus hac ipsa commoti ratione totum hunc locum antiquiorem potius habeamus quam recentiori tempore interpolatum *)? Certe eiiciendos esse hos versus Hermannus mihi nullo modo persuadere potest. Si igitur statuimus, hoc fuisse poëtae propositum, ut sacrorum Eleusiniorum originem celebraret, non necesse erat, ut propterea templi Eleusinii exstructio et institutio sacrorum ipsa v. 296 sqq. 478 sqq. copiose narraretur, quae Matthiaei opinio est l. l., immo ea breviter exponere licebat, dummodo fabula, unde haec sacra atque initia originem ducere existimabantur, luculenter describeretur.

Iam ad argumenta, quibus Matthiaeus l. c. demonstrasse sibi videtur, hunc hymnum ex duobus diversis hymnis conglutinatum esse, animum advertamus, ceteros enim interpretes fere omnes de hac re

---

*) Verisimile est enim ex aliis antiquissimis fabulis τελετήν quandam sacrorum Eleusiniorum tum temporis iam exstitisse, quamquam sacra ipsa Eleusinia posteriore tempore instituta esse constat.

non cogitare video. Primum hoc offendit Matthiaeum, quod quum v. 297 sqq. exstructio templi narrata esset, dea v. 304 templum suum insidere diceretur, ipsi tamen ritus post receptam demum filiam v. 476 monstrarentur, quum, ubi deus aliquis in fano suo versaretur, eum etiam haud dubie donis ab hominibus cum certis quibusdam ritibus oblatis frui constaret. Sed nullam video caussam, cur sacra fecisse Eleusinios ad deae iram placandam non credamus, etiamsi id factum esse non diserte a poëta nostro narretur. Cf. v. 293. Et sacra quidem fieri potuisse ritibus illis sanctissimis a Cerere nondum monstratis neminem negare putaverim. Versabatur in templo suo Ceres, sed sacrorum sacrificiorumque ab hominibus oblatorum nullam habebat rationem, omnia enim eius generis odio ei fuisse ex versibus illis:

— — — — — — — — — ἀτὰρ ξανθὴ Δημήτηρ
ἔνθα καθεζομένη μακάρων ἀπονόσφιν ἁπάντων
μίμνε πόθῳ μινύθουσα βαθυζώνοιο θυγατρός.

(Cf. v. 355 sqq.) haud dubie colligi potest. Matthiaeus hac ratione ductus statim contendit, a versu 306 novum et a praecedenti diversum carmen incipere, quam coniecturam eo etiam stabiliri putat, quod in posteriore hymni parte nimis festinanter omnia narrata vel leviter potius tacta et perstricta sint; neglexit autem festinationis exempla afferre, cuius ne vestigia quidem invenio. Nam quod ille dicit, iacere Proserpinae narrationem v. 407, id credo temere eum pronuntiavisse. Mihi quidem haec narratio aptissime hic inserta videtur esse, quum Ceres ipsa ex filia quaesivisset

καὶ τίνι σ'ἐξαπάτησε δόλῳ κρατερὸς Πολυδέγμων;

quam interrogationem non ad illam fraudem, quam Pluto grano puellae dato struxerat, sed ad raptum pertinere iam viderunt alii interpretes. Cf. Ilgen ad h. l. pag. 554. Voß, Hymne an Demeter. Erläuterungen p. 115. Respondet igitur Proserpina huic interrogationi v. 416 sqq. Quae autem praecedunt verba, iis respondetur primae matris interrogationi (v. 393), quam in codice Moscov. mutilatam habemus, ita tamen mutilatam, ut, quid dicere voluerit poëta, facile coniici possit. Nullus enim dubito, quin versus 393 vel cum J. H. Vossio supplendus sit:

τέκνον, μή ῥά τί μ' (οι ἐπάσω τῆς εἰν Ἀΐδαο)
βρώμης;

vel cum Ilgenio:

τέκνον, μή ῥά τί μοι πάσσῃ ἐνέρων παρ' ἄνακτι
βρώμης.

Deinde valde ineptam esse hanc narrationem, nemini credo Matthiaeus persuadebit: levitatem quidem, quam ille reperisse sibi videtur, nullam video, et quod oratio in mediis clamoribus subsistat, in hoc nihil mirum inesse puto, quid enim amplius narraret Proserpina? Denique quod Matthiaeus putat, bonum vel mediocrem etiam poëtam in eodem carmine eadem, quae iam antea dixerit, minime repetiturum fuisse, satis mirari non possum. Tantum enim abest, ut in ea re difficultas quaedam insit, ut Homerum idem sexcenties fecisse notum sit omnibus. Atque ne hoc quidem verum est, poëtam *plane* eadem repetiisse, quum narrationem v. 414 sqq. multum differre ab illa in initio carminis comparatione inter utramque facta cuique fatendum sit. Unum est, quod restat, legationes illae Iridis, Hecatae, Rheae, quas Ruhnkenio Praef. pag. VIII praeeunte Matthiaeus iacere dicit. Sed non video, quomodo quis tale quid contendere possit? Iris v. 315 mittitur a Iove, ut Cererem arcessat: Ceres autem, ira odioque nimio incensa, recusat neque ab reliquis diis ei persuaderi potest, ut ad Olympum (v. 326

sqq.) veniat. Tum Iupiter certior factus Cererem tristitiam doloremque non esse mitigaturam, nisi filia recuperata, Mercurium ad Tartarum mittit, ut Plutonem Proserpinam manu mittere iubeat. Quo facto Rhea *) Iovis iussu ad Cererem proficiscitur, ut eam placatam iam ad deorum concilium ducat (v. 441 sqq.) neque illa recusat (v. 470). Videmus has legationes apte carmini insertas esse neque ego intelligo, qua ratione Ruhnkenius, vir doctrina iudicioque excellens, commotus sit, ut eas iacere dixerit. Cereri neque statim prima legatione neque ita facile persuaderi, ut Iovis voluntati obsequatur, irato eius animo prorsus consentaneum est.

At fortasse ex iis apud Pausaniam locis, quibus hymnus noster ab eo memoratur (I, 38 bis. IV, 30. II, 14) aliquid colligi poterit ad auctoritatem huic hymno vulgo tributam valde infirmandam, neque Aug. Matthiaeus (Animadverss. p. 77 sqq.) neglexit de ea re verba facere. Pausanias igitur I, 38 haec habet: *τὰ δὲ ἱερὰ τοῖν θεοῖν Εὔμολπος καὶ αἱ θυγατέρες δρῶσιν αἱ Κελεοῦ. Καλοῦσι δὲ σφᾶς Πάμφως τε, κατὰ ταῦτα καὶ Ὅμηρος, Διογένειαν καὶ Παμμερόπην καὶ τρίτην Σαισάραν.* Atqui in hymno nostro v. 108 non tres, sed quattuor filiae Celei nominantur eaeque diversis plane nominibus

τέσσαρες, ὥστε θεαί, κουρήϊον ἄνθος ἔχουσαι
Καλλιδίκη καὶ Κλεισιδίκη, Δημώ τ' ἐρόεσσα
Καλλιθόη θ', ἣ τῶν προγενεστάτη ἦεν ἁπασέων.

Quod Ruhnkenius ad v. 479 ad explicandam hanc discrepantiam dicit, haec trium Celei filiarum nomina, quae apud Pausan. l. c. legantur, h. l. intercidisse, minime sufficere iam ipse vidit, quum scribit: illud tamen mirari subit, sacrorum ministerium non quattuor Celei filiabus, quae Cererem exceperunt, ut supra v. 109 narratur, datum esse, sed tribus aliis, quarum nullae hac in re partes fuerunt; et Matthiaeus l. c. recte annotat, tum *septem* filias Celeo a poëta nostro tribui, cuius rei nulla apud veteres auctoritas sit. In quo Matthiaeus novum argumentum invenisse sibi videtur, nos duos hymnos plane diversos in unum conglutinatos habere. Nostrum est igitur inquirere, num ea, quae videtur maxima, difficultas nulla alia ratione tolli possit. Ilgenius quidem inde colligit, nostrum hunc hymnum neque eum esse, quem Pausanias tractaverit et Homericum esse crediderit, neque post Pausaniae aetatem ex fragmentis hic illic collectis consarcinatum, sed ipso Pausania vetustiorem esse, quod oratio Homerico colore splendens prodat, at imitatione Pamphi et Homeri, fortasse etiam Musaei effictum. Cf. Ilgen hymn. Homeric. pag. 501. Videamus, quid nobis statuendum sit. Primum ea, quae omnibus viris doctis ansam dedit dubitationis, inter nomina filiarum Celei apud Pausaniam et Homerum differentia, non videtur esse tanti momenti, ut gravius quid inde colligi possit. De hac re vel omnes consentiunt, quum quaeratur, utrum hic hymnus Homericus sit necne, non in eo, quod apud Pausaniam nomina nonnulla aliter legantur, quam in hymno nostro, haerendum esse, sed hoc potius inquirendum, utrum totus color, dictio, tractatio in universum Homericam indolem redoleat necne. Discrepantia ista quam facile exoriri potuerit aut Pausania nomina non accurate memoria tenente aut ipsis nominibus per varios casus, quos hymnos Homericos subiisse no-

*) Miror Ruhnkenium etiam de Hecatae legatione mentionem fecisse, de qua nihil in hymno nostro reperio. Hecate quidem accedit ad Cererem eiusque filiam (v. 438 sqq.), sed non missa est. Ceterum obiter moneam, me etiam lectis, quae in hanc rem dixerunt J. H. Voß, Erläuterungen p. 125, 126 et Ilgen p. 561 valde dubitare, quin hi versus v. 438—440 genuini sint. Interpretes enim dicant, quidquid velint, mirum quid et prorsus inexspectatum habet haec Hecatae mentio, qua re potius cum Mitscherlichio hos versus eiiciendos esse putaverim. Satis erat pro consilio poëtae eam v. 25 et v. 52 memorari.]

tum est, commutatis, nemo non videt *). In hoc autem, quod quos locos Pausanias ex hymno Homerico in Cererem affert, ii omnes **) ad alteram carminis partem pertinent, nihil difficultatis inesse puto: certe non inde coniici posse apparet, priorem hymni partem Pausaniae prorsus ignotam fuisse, vel saltem eius aetate ab altera parte secretam (Matth. Animadverss. p. 79) nec sub eiusdem Homeri nomine cognitam. Quod vero ille nonnulla memorat, quae in priore nostri hymni parte leguntur, sed ad ea comprobanda semper Pamphi, nunquam Homeri auctoritate utitur, non magni est momenti: fortasse enim gravior videbatur Pausaniae Pamphi auctoritas, quam Homeri, sicuti in illa Narcissi floris mentione, cuius antiquitatem Pausan. IX, 31 Pamphi, non Homeri testimonio comprobat. Eandem ei fuisse caussam, cur I, 39 in eodem mytho, qui in priore hymni parte tractatur, enarrando unum Pamphum sequeretur, verisimile est. Quae denique Matthiaeus l. l. pag. 80 sqq. disputat, ea omnia ita sunt comparata, ut facile removeri possint. Nam post v. 314 consultationem Iovis excidisse, quis crediderit? Caussa enim, cur excidisse aliquid putemus, nulla est. Neque hoc mirum, quod Iupiter Cererem in Olympum vocare voluerit, sedebat enim dea *μακάρων ἀπονόσφιν ἁπάντων* (v. 304). Id igitur agere debebat Iupiter, ut eam in Olympum arcesseret, et quum in reliquorum deorum concilium venisset, iram eius diis omnibus nocentem (v. 313) placaret. Iterum desideratur a Matthiaeo deliberatio Plutonis, qua fraude uteretur ad Proserpinam decipiendam. Sed nonne poëtae licebat talem deliberationem, quae mihi quidem non opus esse videtur, omittere? Contra haud scio an reprehendendus fuerit poëta, si totum hunc locum copiosius tractavisset. Denique quod vituperat Matthiaeus transitum illum abruptum v. 371:

Ὣσ φάτο· γήθησεν δὲ περίφρων Περσεφονεία,
καρπαλίμως δ'ἀνόρουσ' ὑπὸ χάρματος· αὐτὰρ ὅγ' αὐτῇ sqq.

in eo potius venustatem quandam atque elegantiam deprehendere mihi videor. Quod vero v. 445 nulla iam granorum istorum mali Punici mentio fit, sed Iupiter statim Proserpinam duas anni partes commorari apud matrem permittere dicitur, si hoc loco reprehendendus est poëta, hoc fortasse excusandi gratia afferre licet, eum quam iam aliis locis exposuisset, narrationem de granis illis hic repetere noluisse, praesertim quum Iovem iam de dolo illo certiorem factum esse facile coniici possit. Proserpinae denique narrationem non esse ita insulsam, ut Matthiaeus nobis persuadere studet, iam supra vidimus.

Iam unum hunc hymnum esse argumentis, quae contra hanc opinionem attulit Matthiaeus, refutatis demonstrasse mihi videor. Pauca tantum adiicienda erunt, quae ad componendi artem pertinent. Ea enim lex, qua omnes fere, quos Graeca terra tulit, poësis laude excellentes uti videmus, ut quae fingerent carmina, pleraque in tres partes, ut ita dicam, dividerent, quarum prima, quam vocant expositionem, secunda rerum progressum, tertia catastropham contineret, si in nostrum quoque hymnum quadrat, neminem iam, quin hic hymnus *unus* sit, dubitaturum esse puto. Et hymnus

---

*) Video nunc, quae equidem de tota hac re sentio, iam inveniri in: Neue Bibl. der schönen Wissenschaften u. freien Künste. Vol. 59. 1stes Stück 1797 pag. 108 sqq., ubi is, qui de hymnis Homeri ab Ilgenio editis iudicium tulit, plura de ea re habet. Quum igitur l. l. luculenter disputata sint, quae ego allaturus eram, satis est dicere me cum illo, qui l. c. censoris partes egit, prorsus consentire.

**) Matth. unum versum, qui est v. 154, excepit, quippe qui alieno loco legatur: sed quae animadvss. p. 376 ad hanc sententiam stabiliendam affert, leviora esse videntur. Nam Celei filias digito monstrare e longinquo uniuscuiusque reguli Eleusiniorum aedes, in eo quid insit absoni, non video. Cf. Ruhnken ad h. l. Ilgen p. 534, 535. Mitscherlich ad h. l. J. H. Voß, Erläuterungen p. 53, qui tamen hunc locum sine iusta caussa emendandum censuit.

noster optime in tres partes dividi potest, quarum prima (usque ad v. 98) continet descriptionem raptus Proserpinae, errores Cereris filiam quaerentis, adventum eius in regione Eleusinia. Incipit secunda pars, quae continuatur inde a v. 98 usque ad v. 293: Ceres a filiabus Celei in domum matris ducitur, puer Demophon ei traditur, ira deae ingens describitur, stultitia Metanirae concitata. Tertia denique pars continet catastropham: Eleusinii Cereris iussu templum aedificant, sed ira deae non placatur, veniunt nuntii a Iove missi, ut dolorem ob amissam filiam compescat et terrae hominibusque propitiam se praebeat. Dea commoveri non potest, ut memoria raptae filiae deposita vultu atque animo hilari sit, nisi filia tandem recuperata. Concluditur carmen reconciliatione concordiae ac gratiae deae, quae sacris illis Eleusiniis institutis in Olympum redit.

Quid de vi ac potestate, de necessitudine et coniunctione huius hymni cum iis, quae in sacris Eleusiniis monstrabantur, statuendum sit, ex iis, quae in prooemio de hymnis Homericis universe exposita sunt, colligi potest: nostra quidem sententia dubitare licet, an is, qui hoc carmen finxit, id de industria composuerit, ut μυηθέντες in sacris illis faciendis eo uterentur. Quamvis enim constare videatur, eo tempore, quo hoc carmen compositum esse verisimile est (et facimus cum Vossio, qui auctorem eius non ita multo post Hesiodum vixisse censet), Eleusine iam dies festos in honorem Cereris ac Proserpinae magno cum apparatu celebratos esse, tamen magnopere cavendum est, ne tum temporis *mysteria* vel sacra Eleusinia iam iisdem ritibus, caerimoniis, pompis facta esse credamus, quae postea in usum venerunt, nec quisquam eorum, qui de his rebus scripserunt, negavit, sacra illa antiquitus tradita procedente tempore mutata, amplificata et quodammodo exculta esse. Cf. O. Müller Eleusinia in Ersch et Gruber, Encyclop. I., 33. Quam ob rem non audiendi sunt, qui Creuzerum ducem secuti auctorem hymni nostri adumbrationem vel tectam quandam atque opertam, quam vulgo symbolicam vocant, de diis Eleusiniis doctrinam in eo memoriae prodidisse putant: immo hoc tenendum est, quod ad opinionem cultumque deorum, ad fabulas a maioribus acceptas attinet, simillimam vel certe non ita diversam esse et Homeri et Hesiodi et eius, qui nostrum carmen composuit, et omnium, qui ista aetate fuerunt, rationem. Nulla enim aut paucissima tantum in nostro hymno insunt vestigia earum, quae Cerere magistra in Attica receptae esse dicebantur, opinionum de vitae fine, de immortalitate animorum, de poenis, quibus improbi afficerentur hac vita defuncti, de praemiis bonorum, de felicitate initiatorum etc. etc. etc. Duo sunt loci, qui huc referri possunt et ab interpretibus huc referuntur, v. 365 sqq. v. 486 sqq. Quid autem dicit poëta his locis? Prioris haec est sententia: tu summis frueris honoribus, improbi vero, qui animum tuum sacris rite factis muneribusque oblatis placare neglexerint, per omne tempus poena afficientur: v. 486 sqq. beatissimus praedicatur is, quem illae benigne ament terrestrium hominum: huic statim mittunt in magnas aedes semper praesentem Plutum, qui hominibus mortalibus divitias largitur. Cf. Od. V, 125. Hesiod. Theog. v. 962. Quod ad eos, qui alterum locum praecedunt, versus attinet (v. 477 Τριπτολέμῳ τε etc. etc. — v. 482 αἶσαν ἔχει) cum Ilgenio facio Animadvss. pag. 567 totumque hunc locum, quum compluribus aliis de caussis (vide, quomodo interpretes laborent, ut probum sententiarum nexum ex illis παρεξίμεν οὔτε πυθέσθαι οὔτ' ἀχέειν. μέγα γάρ τι θεῶν ἄγος (ἄχος) ἰσχάνει αὐδήν eliciant) tum maxime quod, quae hic de sacris Eleusiniis dicuntur, posterioris aetatis esse videntur, ex alio carmine, in ipsis τελέταις cantato, desumtum et huc translatum esse puto. Quis non videt his versibus ineptissime interrumpi, quae huc usque uno velut tenore procedebat, narrationem? Deinde si non interpolatus est hic locus, quam friget repetitum illud v. 486 μέγ' ὄλβιος, ὅντιν' ἐκεῖναι etc. etc. etc. Optime autem cohaerent omnia, si v. 476 — καὶ ἐπέφραδεν ὄργια πᾶσιν sequitur v. 483 αὐτὰρ ἐπειδὴ πάνθ' ὑπεθήκατο δῖα θεάων sqq. — Haec fere habui, quae de hymno in Cererem universe dicerem, nunc ad locos aliquot explicandos progrediamur.

v. 58.

— — — — σοὶ δ' ὦκα λέγω νημερτέα πάντα.

ὦκα h. l. habet cod. ms. nec Ruhnkenius in hac voce offendit. Mitscherlich. autem illud ὦκα huc irrepsisse e vs. 60 ratus corruptelam h. l. agnoscere sibi videtur. Putat hic nomen requiri, quo Hecate Cererem alloqueretur, quam ob rem ὦ να (ὦ ἄνα) emendavit, qua quidem de forma non dubitandum esse videtur. Quae Ilgenius p. 517 sqq. contra hanc emendationem affert, nullius sunt momenti, nam ap. Pind. Pyth. XII, 5 ὦ ἄνα rectissime a scholiaste explicari ὦ δέσποινα, si locum illum bene intelligo, nullus dubito. Vid. quae in hanc rem attulit Matthiaeus Animadvss. pag. 361. At omnino emendatione non opus est h. l., id quod iam vidit Ilgenius. Is Mitscherlichium putat ideo ad hunc versum vel potius ad hanc vocem offendisse, quod ille non viderit, quomodo Hecate post decimam auroram (cf. v. 51) asserere possit, se ὦκα λέγειν νημερτέα πάντα. Contra haec Ilgenius rectissime, sed obscurius: „At meminisse oportet, non ad *factum* illud ὦκα relatum voluisse poëtam, sed ad *modum* facti; *dicere rem* ὦκα non erat integrum, integrum tamen erat *vera referre* ὦκα.“ Hoc ille optime intellexisse videtur lacunam h. l. esse nullam, atque miror Hermannum cogitare potuisse, locum hunc esse corruptum Solisque mentionem hic prorsus esse necessariam et ita fortasse supplendum esse:

— — — σοὶ δ' ὦκα λέγοι νημερτέα πάντα
Ἥλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.

Neque multum abest ab Hermanno J. H. Voss Erläuterung. p. 25. nisi quod Solis mentionem non ita necessariam esse arbitratur. Is tale quid scribendum esse existimat: Σοὶ δ' ὅς κε λέγοι νημερτέα πάντα, ut ὅς pro demonstrativo pronomine positum sit. Etiam Fr. Aug. Wolfium excidisse unum vel duos versus opinatum esse ex editione eius apparet. At locus sanissimus est. Primum Solis mentione prorsus non opus esse videtur. Solem enim, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει (θεῶν σκοπὸν ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν) aliquid de rapta Proserpina compertum habere et ipsa Ceres scire poterat et nos, si ad v. 26 sqq. respicimus, cogitare coacti sumus. Cf. Matthiaeus l. c. Sed redeamus ad illud, unde devertimus: verba enim σοὶ δ' ὦκα λέγω νημερτέα πάντα ad *praecedentia* referenda sunt, id quod non intellexisse videntur Vossius, Wolfius, Mitscherlich, al. Hecate obvia fit Cereri filiam quaerenti. Non poterat scire, matrem iam aliquid de raptu Proserpinae comperisse. Itaque brevibus verbis eam de hac re certiorem facit, ita tamen ut eam interroget, quis deorum vel hominum Proserpinam rapuerit: se enim id non vidisse, clamorem tantum audivisse. Concludit deinde σοὶ δ' ὦκα λέγω νημερτέα πάντα: *celeriter, festinanter* haec tibi dico, non multa verba facio, nempe quum salus filiae magno in discrimine sit. Cf. infra v. 171 ὦκα δὲ μητρὶ ἔννεπον, ὡς εἶδόν τε καὶ ἔκλυον.

v. 64.

Ἠέλι', αἴδεσσαί με θεᾶς ὕπερ, εἴ ποτε δή σευ
ἢ ἔπει ἢ ἔργῳ —

Locus ab interpretibus vehementer vexatus, qui fere omnes acumen suum in eo emendando exercuerunt. Codex ms. habet αἴδεσσαί με θέας ὕπερ, quam lectionem nuper defendit J. H. Vossius p. 26 der Erläuterungen. Is igitur praeeunte Hermanno Cererem obsecrare putat Solem per *visum* eius, ut ita graecum θέας ὕπερ efferre liceat, et conferri iubet vs. 70. Sed ut h. l. nexus est sententiarum, semper miri quid habet illud θέας ὕπερ, quum sequatur, εἴποτε δή σευ- ἴηνα: recte vero se haberet θέας ὕπερ, si ita loqueretur Ceres: Ἠέλιε, λίσσομαί σε θέας ὕπερ, νημερτέως μοι ἔνισπε, εἴ που ὄπωπας, haec foret proba sententiarum conjunctio. Sed quis hoc

ferendum esse putaverit: reverere me *per visum tuum,* si ego unquam vel dicto vel facto gratum feci animo tuo? Itaque aut ea, quae sequuntur, εἴ ποτε δή σευ — prorsus eiicienda erant aut θεας ὕπερ et εἴ ποτε — ἴηνα ad unum idemque subiectum referenda sunt. Neque vero placet, id quod multi fecerunt, pro θεας aliud quid in textu ponere. Quum enim cum Ilgenio Θέης vel cum Ignarra Ῥέας (quam emendationem aliis rationibus ductus iam improbavit Mitscherl.) scribimus, tum nulla efficitur h. l. sententiarum coniunctio et tam abruptum genus dicendi ferri non posse nemo non videt. Qui est hic sententiarum nexus: reverere me per *Theam,* si *ego* unquam beneficium aliquod in te contuli? Certe aut dicendum erat: reverere me per Theam matrem, si quidem illa unquam tibi gratum quid fecit, aut particula coniunctiva addi debebat post Θέης ὕπερ. Aliam emendandi viam inivit Matthiaeus, qui, cum iam Ignarrae in mentem venisset, fortasse scribendum esse αἴδεσσαί μ' ἐλέους ὕπερ — me pro commiseratione reverere — id quod tamen ipse tanquam nimis humile, abiectum et maiestate numinis indignum improbavit (cf. Ignarrae Emendatt. ap. Mitscherl. ad v. 64) h. l. restituendum esse censet αἴδεσσαί μ' ἐλέησόν τ', εἴ ποτε δή σευ hoc potissimum argumento usus, quod quum duae fere adhiberentur in precando formulae, altera qua per personam aliquam vel rem ei, quem obtestamur, carissimam vel venerandissimam precaremur (Od. XV, 261. Il. XV, 660. XXII, 338. Apollon. Rh. III, 701. h. in Ven. 131.), altera, qua id, quod nosmet ipsi in eius, quem oramus, gratiam fecimus, in memoriam ei revocaremus (ut Il. I, 37. 395 h. l. εἴ ποτε—ἴηνα), hae autem formulae nunquam iunctae reperirentur, sed alterutra tantum adhiberetur, non verisimile esset h. l. etiam alteram insuper addi posse, quum hic alteram formulam in verbis εἴποτε-ἴηνα iam haberemus. Affert praeterea locos ex Homeri carminibus sumtos, quibus αἰδεῖσθαι et ἐλεαίρειν saepissime in eiusmodi locutionibus coniungi probatur. At si Homerus nunquam duas illas formulas coniunxit, ne nostro quidem poëtae idem licuisse inde non sequitur: immo, quum ab Homero ipso hunc hymnum non compositum esse constet, eum qui Homericam dictionem imitatus est, has duas formulas, quas in Homero non coniunctas invenisset, coniungere potuisse apparet. Accedit, quod, si Matthiaei emendationem accipimus, quomodo illud ὕπερ in cod. ms. ortum sit, non videmus, quam difficultatem iam animadvertit censor libri Matthiaei in Bibl. f. schöne Wissensch. u. Künste, Vol. 65 Part. 1, pag. 69. 1801, qui Ἠέλι', αἴδεσσαι μ', Ὑπεριονίδ', εἴ ποτε — coniecit, quae coniectura per se bona esset, nisi duplex illa in uno versu allocutio magnopere displiceret. Quum igitur omnes, quas vv. dd. proposuerunt coniecturas, ita sint comparatae, ut nobis probari non possint, proxime ad cod. ms. scripturam accessisse mihi videor, si cum Santenio et Mitscherlich. θεᾶς ὕπερ scribo, ita ut hoc de ipsa Cerere dicatur hoc sensu: *me cole quum dea sim, me reverere tanquam deam,* quae quidem locutio, si ad grammaticam rationem spectas, insoliti quid habet, sed in nostro poëta fortasse excusanda est.

v. 188 sqq.

— — ἡ δ' ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἔβη ποσί, καί ῥα μελάθρου
κῦρε κάρη, πλῆσεν δὲ θύρας σέλαος θείοιο.
τὴν δ' αἰδώς τε σέβας τε ἰδὲ χλωρὸν δέος εἷλεν.

Is, qui de Ilgenii hymnor. Homericorum editione iudicium tulit (v. Neue Biblioth. f. schöne Wissensch. u. freie Künste. Vol. 59, Part. 1. 1797 p. 119 sqq.) miratur, quod nullus interpres in his versibus offenderit, quippe qui sine dubio pro spuriis atque a grammatico quodam interpolatis habendi sint, quum h. l. eadem narrari, quae infra v. 276 sqq. legantur, ineptum sit poëtaque nostro indignum. Grammaticum vero istum similes in Homeri carminibus locos vel etiam Callimachi

hymn. in Cerer. v. 59 memoria tenentem inde sumpsisse, quae h. l. de Cerere fores intrante dicantur adhibito etiam v. 279 sqq. ad splendorem deae describendum. Quam ob rem v. 188 scribendum esse censet: ἡ δ' ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἔβη ποσὶ γραῖα (pro καί ῥα) μελάθρου et conferri iubet Od. IV, 716 sqq. At desiderantur argumenta, quibus haec opinio confirmari possit. Tantum enim abest, ut quae affert ille argumenta, iis aliquid efficiatur, ut iis ipsis, dummodo bene percipiantur, contrarium ac quod ille vult demonstretur. Quomodo enim poëta dicere possit v. 190 τὴν δ'αἰδώς τε σέβας τε ἰδὲ χλωρὸν δέος εἷλεν v. 189 eiecto? Certe *anus*, quamvis illa θεοείκελος sit (cf. v. 159), tantam in Metanirae animum vim exercere non potuit, ut *pallidum timorem* ei iniiceret. Cf. quae dicit Metanira v. 214 sqq. Qui vero v. 276 sqq. cum v. 189 comparaverit, is magnum esse discrimen inter hanc et illam deae descriptionem videbit. Infra enim quam copiose, quam venuste, quam ornate omnia exponuntur! id enim egit poëta, ut exitum deae quam splendidissimum redderet, sed nostro loco obiter tantum ac brevibus verbis splendor atque maiestas Cereris intrantis, quae anus formam nondum exuerat, describitur. Iam quod Iambe nihilominus misere afflictam facetiis suis iocisque exhilarare studet, nihil est, quod mireris, splendorem enim atque maiestatem divinam non conspicata (v. 190 *sola* Metanira ingenti timore affici dicitur) anum tristem et magna calamitate obrutam alloqui sibi videtur. Ceterum animadvertendum est, quae hic de splendore deae dicuntur, ea ad deam *limen intrantem* referenda nec credendum esse, splendorem illum atque maiestatem divinam etiam sedente dea agnosci, videmus enim dea sedente Metaniram timorem, quo antea perterrita erat, abiecisse et in anu non divinum quendam, sed regium vultum conspicere (v. 214 sq.). Restat ut de μελάθρου pauca dicamus. Mihi enim non verisimile videtur, μέλαθρον hic, id quod vulgo significat, trabem tecti significare, quum praecedat ἡ δ'ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἔβη ποσί et sequatur πλῆσεν δὲ θύρας. Apparet deam in limine ipso atque intra fores stare, optime igitur μέλαθρον de ea parte ianuae, quam vernaculo sermone „Oberschwelle" latine *supercilium* (Vitruv. V., 6, 5. IV., 6, 2.) vocamus, intelligendum erit (de qua huius vocis significatione vid. Hesychium), quamquam fortasse solus hic locus est, ubi μέλαθρον hanc significationem habet.

v. 266 sqq.

ὥρῃσιν δ'ἄρα τοῦγε, περιπλομένων ἐνιαυτῶν,
παῖδες Ἐλευσινίων πόλεμον καὶ φύλοπιν αἰνὴν
αἰὲν ἐν ἀλλήλοισι συνάξουσ' ἤματα πάντα.

Multum interpretes de hoc loco disputarunt nec profecto negari potest plura inesse, quae iustam dubitandi caussam praebeant. Ut primum ea, quae ad scripturam attinent, recenseamus, in cod. ms. legitur ὥρῃσι δ'ἄρα τῷγε, quod quum bene intelligi non possit, plerique editores acceperunt Fonteinii emendationem τοῦγε (matura eius aetate) exceptis Mitscherlichio et J. H. Vossio, qui quidem lectionem codicis τῷ γε retinent, diversa tamen ratione explicant. Priori τῷ γε vertendum esse videtur: *quare, quapropter*, ut ad Metanirae imprudentiam referatur: sed id credo temere eum scripsisse. Hoc enim in Homeri carminibus legendis animadvertisse mihi videor, illud τῷ pro διὰ τοῦτο nullo alio loco inveniri, nisi in initio sententiae positum et semper ad id, quod proxime praecessit, referri. Cf. ipsum illud, quod Mitscherl. attulit, exemplum Il. II, 354. Herm. ad Vig. p. 706, 27. J. H. Vossius alia ratione lectionem codicis tueri studet, is enim vertit *huic*. At si Vossii opinio probatur, quomodo quis ὥρῃσιν intelligat, non video, hoc enim tam absolute positum sensu caret, nomen autem quoddam ex praecedenti versu supplere durius est, quam ut nobis com-

probari possit. Unde sequitur, Fonteinii coniecturam esse accipiendam, quippe quae optimum praebeat sensum. Quae deinde dicuntur *περιπλομένων ἐνιαυτῶν*, ea Homerico more adiecta sunt. Cf. intptt. Hom. hymn. in Apoll. v. 350:

Ἂψ περιτελλομένου ἔτεος, καὶ ἐπήλυθον ὧραι.

Sed haec sunt leviora: maximae difficultates in iis, qui restant, versibus insunt, quibus adductus Ilgenius totum hunc locum ex nota marginali expressum censet. Codex ms. habet: *αἰὲν ἐν ἀλλήλοισι συναυξήσουσ' ἤματα πάντα,* Ilgenius elegantissime emendavit *συνάξουσ'*, cf. Il. II, 381 *ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα* XIV, 448 *σύναγον κρατερὴν ὑσμίνην*. Significat igitur poëta Demophontis aetate bellum civile inter Eleusinios exarsisse, cuius nullam neque ab historiarum neque a fabularum mythorumque scriptoribus mentionem fieri iam Ruhnken. animadvertit. At ideo non eiiciendos esse hos versus iam vidit Vossius, qui optime de toto hoc loco disputavit, neque ii probandi sunt, qui *ἐν ἀλλήλοισι* in *Ἀθηναίοισι* mutato Cererem his verbis bellum Eleusiniorum cum Atheniensibus, quod hoc tempore gestum esse ex Apollod. III., 15, 4 (v. quos laudat Heyne Animadvss. p. 339) constat, praesagire putant. Aliam coniecturam profert censor libri Matth. l. l. pag. 75, qua hi duo versus in unum contrahuntur

ὥρησιν δ' ἄρα τόνγε, περιπλομένων ἐνιαυτῶν
παῖδες Ἐλευσινίων συναέξουσ' ἤματα πάντα

ut cultus Demophontis (cf. v. 264 *τιμὴ δ' ἄφθιτος αἰὲν ἐπέσσεται*) hic describatur. At multa sunt, quae contra hanc coniecturam dici possunt. Primum illo *ἄρα* in initio sententiae significari videtur, poëtam ad aliam rem transire, deinde *ὥρησιν*, quid sit, intelligi non potest, neque Hesiod. Theog. v. 58 sqq., quem conferri iubet, aliud quidquam efficitur, nisi coniungi *ἐνιαυτόν, ὥρας, μηνάς, ἤματα, ὥρησιν* vero nullo verbo adiecto sensum habere inde non sequitur. Denique non apparet, quomodo illud *πόλεμον καὶ φύλοπιν αἰνήν* ortum sit, quod ille quidem e glossa receptum esse putat, in qua quaedam de bello Eleusiniorum Demophontis aetate gesto exposita fuisse verisimile sit. At quis credat, si hoc loco pro censoris illius sententia de honoribus Demophonti tributis poëta verba fecisset, cuiquam in mentem venisse, in margine quaedam notare, quae ad bellum Eleusiniorum eo tempore gestum pertinerent? Retinenda est igitur lectio cod. ms. nec quidquam mutandum nisi *τῶγε* illud in *τοῦγε*, de quo iam dictum est. Qui vero factum sit, ut nihil de bello civili Eleusiniorum Demophontis aetate exorto apud reliquos harum rerum scriptores reperiatur, de hoc plura habet Vossius, inter quae hoc est vel gravissimum, quod omnino has de Demophonte fabulas antiquioris tantum aetatis fuisse, postea vero aut interiisse aut nomine Triptolemi illato commutatas esse probabile est. Vid. Voss. Erläut. p. 80, quamquam ea, quae is de Triptolemo, inimico Demophontis, coniicit, nobis non ita ab omni dubitatione remota esse videntur. Sufficit eam, quam supra diximus, fabularum commutationem esse factam, neque id unum huius generis exemplum erit. Talia enim saepe et pro sacerdotum voluntate et pro hominum diversae aetatis atque indolis opinionibus finguntur, *Τριπτόλεμος* autem ideo etiam magis placuisse videtur hominibus posterioris temporis, quod hoc nomen ad agriculturam, ad terrae fecunditatem, ad rem agrariam in universum, cui praeesse credebatur Ceres, optime referri poterat: *Τριπτόλεμος* enim cohaeret cum *τρίπολος* (*τρίπτολος-εμος*) cf. Il. XVIII, 542. Od. V, 127. Hesiod. Theog. 971. De Triptolemo v. Paus. I, 14, 2, 38, 6. Apollod. I, 5, 2. (Heyne Observatt. p. 27.) Hygin. fab. 147. Ovid. Fast. IV, 555. — Iam unum restat, quod interpretes h. l. male habet: censor ille libri Matth. omnino ineptum

esse contendit, quod h. l. belli cuiusdam mentio fiat, et Matth. ipse Animadverss. pagn. 392 dicit, hanc belli Eleusiniorum sive inter se sive cum Atheniensibus gesti mentionem nimis esse brevem et sententiarum ordinem turbare, multo enim accommodatius esse statim post v. 265 *οὕνεκα γουνῶν ἡμετέρων ἐπέβη καὶ ἐν ἀγκοίνῃσιν ἴαυσεν* subiici: *εἰμὶ δὲ Δημήτηρ.* Etsi verum est, in mentione belli, ut nunc hic locus in codice legitur, nos non iniuria offendere, tamen si totum hunc locum integrum haberemus, optime inter se cohaerere, quae nunc ab omni nexu soluta esse videntur, nemo non perspiceret. Plura enim excidisse videntur et F. A. Wolfium eandem opinionem habuisse ex editione eius colligi potest. Ceres discedens vaticinia edit et Demophonti gentique Eleusiniorum, quae deinceps futura sint, praedicit: Demophontem magnis ac paene divinis honoribus ornatum et cultum iri, deinde bellum civile eius aetate exarsurum esse etc. Qui exciderunt versus, alia etiam vaticinia, quae ad Demophontem gentemque Eleusiniorum pertinerent, continuisse videntur. Tum transitus factus est ad v. 289 his fortasse verbis: Ut vero credatis, me vera loqui, aperiam vobis me esse Cererem deam etc. etc. Ceterum non omittendum est in v. 268 *αἰὲν-ἤματα πάντα* non ita ad verbum vertendum esse, ut v. 261, sed potius de vitae tempore vel omnino de longiore temporis spatio intelligendum, uti sexcenties idem dicendi genus ab Homero usurpatur. Cf. Od. VIII, 468. VI, 281. IV, 209. Il. XII, 133. XIX, 226. XXIII, 594. al., quos locos contulit J. H. Vossius.

v. 372 sqq.

— — — — — — — αὐτὰρ ὅγ' αὐτῇ
ῥοιῆς κόκκον ἔδωκε φαγεῖν μελιηδέα λάθρῃ
ἀμφὶ ἑ νωμήσας, ἵνα μὴ μένοι ἤματα πάντα
αὖθι παρ' αἰδοίῃ Δημήτερι, κυανοπέπλῳ.

De sensu huius loci et de nexu eius cum iis, quae antecedunt et sequuntur, universe iam disputatum est in iis, quae de argumento hymni nostri disseruimus. Sed restant alia, de quibus nunc nostram sententiam proponere liceat. Iam quod ad *ῥοιῆς κόκκον* attinet, nihil addi posse videtur iis, quae affert Vossius l. l. p. 105 sqq., qui hoc quidem loco non cogitandum esse de sensu quodam arcano ac notione mystica, quae *ῥοιῆς κόκκῳ* posteriore tempore tribuebatur (cf. Paus. II, 17, 4. Clem. Alex. Adm. adv. gent. p. 12. Arnob. V p. 164. Porphyr. de Abstin. IV p. 353) rectissime statuit. Sed hac de re neminem dubitaturum esse spero: maior vero difficultas in iis, quae sequuntur, verbis *λάθρῃ ἀμφὶ ἑ νωμήσας*, inest, quae alii alia interpretantur ratione. Primum dubitare licet de interpunctione, quum cod. ms. neque ante nec post *λάθρῃ* distinctionis signum habeat. Equidem Ilgenio et Mitscherlichio consentientibus hanc vocem referendam esse puto ad *ἀμφὶ ἑ νωμήσας*, ut sit *clam, insidiose, fraudulenter* (cf. Od. XVII, 80). Deinde de explicandis verbis *ἀμφὶ ἑ νωμήσας* magnopere inter se dissentiunt viri docti, quorum is, qui censuram libri Matth. scripsit l. l. p. 76 emendationem proponit, ut mihi videtur, nimis audacem, scribendum enim censet *ἐν νῷ μειδιάσας* (cf. Theocrit. I, 96 *λάθρια γελάοισα*) id quod vereor ne scriptor hymni nostri dicere non potuerit, quod enim exemplum affert fragm. Orphic. versus ap. Gessner p. 380 n. 16, 4 *μείδησ' ἐνὶ θυμῷ* id ab Homerica dictione nimis abhorret et haud dubie serioris temporis est. Ceteri interpretes in explicanda locutione *ἀμφὶ ἑ νωμήσας* operam consumunt. Itaque optimum erit, priusquam meam sententiam proponam, opiniones virorum doctorum de his verbis recensere. Initium faciam ab J. H. Vossio, qui vertit *dum eam prope se traheret*, explicans *νωμήσας* per *προσαγαγόμενος* (Xenoph. Cyrop. VIII, 4, 26. Theophrast. charact. V), ita ut *ἀμφὶ ἑ νωμήσας*

poëtice dictum sit pro *πρός ἑ νωμήσας*: sed *νωμᾶν* hanc potestatem habere non posse iam vidit Mitscherl. ad. h. v. neque ego intelligo, quomodo *ἀμφί ἑ* dici possit pro *πρός ἑ*. Vossii igitur explicationem mittamus neque aliud iudicium faciendum esse puto de opinione Aug. Matthiaei l. l. pag. 404, cui *ἀμφί ἑ νωμήσας* dictum videtur esse, ut *ἀμφί ἑ παπτήνας* (Il. IV, 497), ut suppleatur *τὼ ὄσσε*, oculos circum ferens, sed quid hoc sibi velit hoc loco? Quo tandem oculos suos Plutonem coniecisse putemus? Locus quidem, quem affert Matth. Herodot. IV, 128 *νωμῶντες οὖν σῖτα ἀναιρεομένους*, ubi *νωμᾶν* significare contendit *videre, animadvertere*, iniuria ab eo laudatur: ibi enim *νωμᾶν* notionem habet animo volvendi, reputandi, quam et apud Homerum et apud scriptores Atticos habere hanc vocem postea videbimus. Neque Hesiod. Asp. 462 *δούρατι νωμήσας* Matth. explicare debebat *σκοπήσας, τιτυσκόμενος*, eo enim loco *νωμᾶν* primitivam *movendi* notionem retinet. Vid. Voss. Erläuter. p. 106 init. *νωμᾶν* h. l. recte explicasse videntur Ilgenius et Mitscherlich. *mente agitare, animo volvere.* Conf. Od. XX, 257 *κέρδεα νωμῶν* XIII, 255 *νόον πολυκερδέα νωμῶν* XVIII, 216 *ἐνὶ φρεσὶ κέρδε᾽ ἐνώμας* et quae Voss. l. l. e tragicis poëtis Atticis affert exempla. Ilgenius igitur vertit: *hoc clam animo secum volvens, ut ne* etc. et Mitscherlich.: *insidiose cum illa agens, id volvens animo, ut* ne etc. Sed *νωμᾶν τι ἀμφί ἑαυτὸν* sine exemplo est, id quod iam animadverterunt Matth. et Voss., neque ab analogia ullam habet excusationem. Santenii denique *ἀμφίς νωμήσας* — *clamque bipartivit* — et Hermanni *seorsim tribuens* nemini probatum iri puto. Equidem *ἀμφί ἑ νωμήσας* vernaculo sermone verto: um sie sinnend, sorgend, ita ut *ἑ* positum sit pro *αὐτήν*. Quin vero *νωμᾶν* hanc, quam dedi, potestatem *curandi*, a notione animo volvendi derivatam habere possit, nullus dubito. Exempla quidem huius loquendi formae, quae satis audax videtur esse atque insolita, afferre non possum, attamen si ad analogiam spectas, eam non ita a graeco sermone alienam esse apparet. Primum quod ad usum praepositionis *ἀμφί* attinet, cf. Il. XVIII, 339 *ἀμφὶ δὲ σὲ Τρωαὶ καὶ Δαρδανίδες βαθύκολποι κλαύσονται.* hymn. 6, v. 1 *ἀμφὶ Διώνυσον-μνήσομαι.* Aeschyl. Sept. v. 828 ed. Schütz *μέριμνα δ᾽ ἀμφὶ πτόλιν.* Coniungitur deinde *ἀμφιπένεσθαι* — curare — cum accusativo (Il. XVI, 28), *ἀμφιπολεύειν* cum eodem casu: Atticorum denique est *ἔχειν ἀμφί τι*, curare aliquid, operam navare alicui rei, et Hesychius explicat *Νωμῶν, ἔχων.*



Schul-Nachrichten.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

I. Oberprima. Ordinarius: Professor Hoß. Lateinisch: Tacit. Ann. I—III, 20. Cic. Orator. Horat. Epist. lib. I et II. Wöchentlich ein Extemporale und eine häusliche Arbeit nach Dictaten und Nägelsbach's Uebungsbuch; Sprechübungen über Gelesenes oder geschichtliche Gegenstände. 8 St. Prof. Hoß. — Griechisch: Thucyd. lib. II. Demosth. orat. de Corona. 3 St. Prof. Hoß. Platon. Protagoras. 2 St. Hom. Il. XXII—XXIV. X. XI. 3 St. der Director. — Hebräisch: Repetition der Formenlehre des Pronomens und regelmäßigen Verbi, Einübung der unregelmäßigen Verba, nach Gesenius. Lesung der Geschichte Simsons und einiger Abschnitte der Geschichte Josephs aus Gesenius' Lesebuch. 2 St. Regierungsr. Grashof. — Deutsch: Geschichte der Literatur von der ältesten Zeit bis zur Mitte des vorigen Jahrhunderts; Lesung einiger Stücke aus dem Nibelungenliede; längere Beschäftigung mit Klopstock und Lessing. Correctur der Aufsätze. 2 St. Oberl. D. Pfarrius. — Französisch. Wiederholung einzelner Theile der Grammatik nach Knebel, mit mündlicher Uebersetzung der betreffenden Beispiele aus Höchstens Uebungsbuch; kürzere mündliche Vorträge; alle 14 Tage eine schriftliche Uebersetzung aus dem Deutschen ins Französische. Gelesen wurden ausgewählte Stücke aus Magers Chrestomathie und einige Satires und Epitres von Boileau. 2 St. Gymnasiall. D. Lucas. — Religionslehre: 1) evangelische: Geschichte der christlichen Kirche nach Petri's Lehrbuch, eingeleitet durch Lesung größerer Abschnitte aus der Apostelgeschichte im Urtext. 2 St. Regierungsr. Grashof. 2) katholische: Gott der Schöpfer und Erlöser der Menschen; Fortsetzung der in Secunda abgebrochenen Sittenlehre: nach Martins Lehrbuch. 2 St. Religionsl. D. Schlünkes. — Geschichte: Geschichte der neueren Zeit nebst Repetition der Geschichte des Alterthums. 3 St. Oberl. D. Pfarrius. — Mathemathik: Aufgaben aus der Planimetrie; Stereometrie; diophantische Gleichungen; Kettenbrüche; Progressionen; Combinationslehre. 3 St. Oberl. D. Backes. — Physik: Optik; Repetitionen aus den verschiedenen Zweigen der Physik. 2 St. Oberl. D. Backes. — Gesang: Classische Werke für gemischten vierstimmigen Chor mit Soli-Vorträgen. 2 St. Musik-Director Weber.

II. Unterprima. Ordinarius: Oberlehrer Lorentz. Lateinisch: Cic. de Off. lib. I und orat. pro Murena (ausgewählte Capitel aus Cic. de Off. memorirt); wöchentlich ein Exercitium, theils nach Dictaten, theils aus Nägelsbach, und ein Extemporale. 6 St. Oberlehrer Lorentz. Horat. Carm. lib. III u. IV u. Epod. mit Auswahl; mehrere Oden wurden auswendig gelernt. 2 St. Prof. Hoß. — Griechisch: Xenoph. Memorab. lib. I u. II; Plutarch. Philopoemen u. Pyrrhus. 4 St. Oberl. Lorentz. Platon. Laches u. Alcib. II. 2 St. Hom. Il. lib. VI—IX. 2 St. der Director. — Hebräisch: combinirt mit Oberprima. — Deutsch: Uebungen im mündlichen Vortrag mit Benutzung der Sammlung von Deycks; Correctur der deutschen Aufsätze. 2 St. Oberl. Lorentz. — Französisch: Grammatik nach Knebel von §. 93 bis zu Ende der Syntax mit mündlicher und schriftlicher Uebersetzung betreffender Beispiele aus Höchstens Uebungsbuch; alle 14 Tage wurde eine schriftliche Arbeit eingeliefert, auch einzelne freie Vorträge gehalten. Gelesen ausgewählte Stücke aus Magers Chrestomathie und die Athalie von Racine. 2 St. Gymnasiall. D. Lucas. — Religionslehre: combinirt mit Oberprima. — Geschichte: Geschichte des Mittelalters. 3 St. Oberl. D. Pfarrius.